

infrascripto Secretario, adductis rationum momenti sedulo perpensis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Juxta alias decreta praesertim in Sutrina Praecedentiae diei 11. Jun. 1701. Canonico Menichetti spectare Stallum secundae possessionis.“

Atque ita rescripserunt, ac servandum omnino mandarunt. n. 4939 die 16. Apr. 1842.

ALBANEN.

Cath. Alban. in Eccles. Canonicatus non iidem omnes inter se sunt: alii enim primam, alii vero recentiorum institutionem agnoscunt, cujus quidem institutionis Canonici, licet postremum in Choro locum accipere ex conditionibus debeant, ejusdem nihilominus a Capitulo primae institutionis ad superiora stalla ascendendi, in eisque sedendi facultas tribuitur, si Decani, seu Archipresbyteri, hujusque immediate sequentis Canonici Archidiaconi sedes tantummodo excipiantur. Hac facultate instructus Jo. B. Silvestroni secundae erectionis Canonicus super quatuor aliis Canonici sedebat, quum ipse inter primae erectionis Canonicos est cooptatus, adeo ut postremus nunc ipse inter hos adnumeretur, ac ad quorundam onerum adimplementum postremo ex Canonici inhaerentium teneatur: Ad haec implenda paratissimus, dum, uno dimisso, alterum Canonicatum obtinuit, supplicem s. m. Pio Papae VII. sub die 21. Febr. 1823. Libellum porrexit, ab Eoque idem, in quo sedebat, retinendi stallum indultum postulavit, atque accedente Emi. ac Rmi. Episc. informatione et voto, ipsiusque Capituli consensu, ita SSmus. Oratoris precibus indulisit quoad stallum dumtaxat. Per hanc Summi Pont. concessionem Canonici Velletrani et Scalchi, qui in possessione Canonicatus primae erectionis, antiquiores sunt Canonico Sil-

vestroni, quoad stallum tamen posteriores, haud existimantes per memoratum indultum ab exequendis officiis ad postremos duos Canonicos peculiariter spectantibus immunitatem concedi, inito cum Canonico Silvestroni consilio, sequentia Dubia S. R. C. enodanda proposuere:

1. An conveniat Canonico Silvestroni praecedentia, quum sit Canonicorum ultimus?

2. An Hebdomadarii officia peragenda sint a Canonico Silvestroni eo ordine, quo sedet, an vero ut ultimo ex Canonici?

3. An, quum spectet ad duos postremos Canonicos Diaconi et Subdiaconi officium in Missis solemnibus, et associatio Celebrantis ad thurificationem, quae fit in Vesperis, considerari debeat Canonicus Silvestroni ut unus ex duobus ultimis?

4. An in actibus Capitularibus suffragium dare debeat ante Canonicos, qui ei priores sunt in Capitulo et ante eos Capitulares Libros subsignare?

5. An in associatione cadaverum, absentibus Senioribus, possit Canonicus Silvestroni Stolum induere, pro qua duplex est emolumentum, et ceræ distributio, in illius praejudicium, qui eam induere deberet, nisi Canonicus Silvestroni stalli privilegium obtinisset?

Et Emi. P. S. Ritibus tuendis praepositi, re mature, diligenterque discussa, auditoque voto alterius ex Ap. Magistris Caer. scriptis exhibito, praeloque cuso, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Pedicini Pontentis, respondendum censuerunt:

Ad 1. „Juxta Votum, scilicet in casu praecedentiam deberi Canonico Silvestroni.“

Ad 2. „In eodem, nimirum Hebdomadarii munus obeundum esse a Canonico Silvestroni juxta ordinem stalli.“

Ad 3. „Negative.“

Ad 4. „Juxta Votum, videlicet Canonico Silvestroni deberi ultimum locum in Actibus capitularibus.“

Ad 5. „Negative.“

Atque ita responderunt, ac servari mandarunt in Cath. Albanen. Die 6. Maji 1826.

Facta autem de praemissis omnibus SSmus. D. N. Leoni XII. P. M. per infrascriptum Secretarium relatione, S. S. C. responsa adprobavit, et confirmavit. N. 4619 die 10. supradicti Mensis et Anni.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Facti species haec erat. In Cath. Eccl. Civitatis Albani duae sunt Canonicorum classes. Ad primam pertinent qui antiquitus fuere instituti: in altera ponuntur illi, qui postea ex piis foundationibus accesserunt, et secundae erectionis nuncupantur. Hi autem, licet ultima teneant subsellia, nihilominus ex indulgentia Canonicorum primae erectionis, in vacationibus superius permittuntur ascendere juxta ordinem antianitatis. Hinc fit ut, etiamsi quoad praebendas, et massam communem, et vocem in Capitulo ab iisdem Canonici primae erectionis omnino discriminentur, quoad stallum in Choro, aliis, qui postea de Canonicatu provisi sunt, praecedant. Id accidit Canonico Silvestroni, qui, licet praebendatus esset secundae erectionis, hujusmodi ascensum a Capitularibus obtinuerat, et gradatim eo inde pervenit, ut post se duos haberet Canonicos primae erectionis, quibus onus incumbit inserviendi Canonici in officio Diaconi et Subdiaconi. Quoniam vero non ita multo post praefatus Silvestroni primae erectionis Canonicatum obtinuit et, ne, ut de novo provisos, inferius descendere cogeretur, indultum petiit, retinendi locum, in quo reperiebatur, quod concessum Apost. auctoritate ei fuit sub hac expressione: SSmus. Oratoris

precibus indulsit quoad stallum dumtaxat. Erat hinc quaestio super dictione illa restrictiva dumtaxat, et juniores duo Canonici sese ei contradictores praebuerunt, arbitrati materialem tantummodo sedem in Choro ei fuisse supra ipsos indultam; neutquam vero concessum, ut iis frui posset officiis, quibus seniores gaudent, et ab iis esset oneribus exemptus, quibus duo juniores gravantur. Ut autem componerentur dissidia, conventum inter partes fuit, ut res omnis definienda proponeretur S. R. C.

Quinque igitur Dubiis, quae data fuerunt, Emi. P. eidem C. praepositi responderunt, ut in supra relato Decreto; declarantes, Silvestronio de novo Canonicatu proviso cum retentione stalli praeeminentias, et munera in omnibus Eccl. functionibus fuisse praeservata, quae eidem, priusquam novum Canonicatum consequeretur, vel ex indulgentia competebant, quin obstat dictio illa dumtaxat, quae retentio stalli alia omnia includit, quae in eo sedenti conveniunt. Duo tamen excipienda visa sunt, videlicet sedes in Capitulo, et delatio Stolae in funeribus.

Etenim sedes in Capitulo confundi nequit cum stallo in choro. Per stallum quippe locus designatur a Praebendatis occupandus ad persolvendas Horas canonicas, aliaque agenda, quae ad Divinum Cultum pertinent, nihilque ibi licet peragere quod temporale, et profanum sit. Contra vero eorumdem conventus in Capitulo de rigore actio sacra non est, vel talis improprie, latoque modo appellanda. Non enim fit ad Primam complendam, ut antiquitus praesertim apud Monachos erat in more positum, qui, dicta Oratione, e choro pergebant ad Capitulum, videlicet in unum conveniebant omnes ad Martyrologii, Necrologii, Sacraeque regulae lectionem, Culparum emendationem, ac laboris injunctionem etc. (Videri

possunt Martene l. 1 c. 5 *de Monachorum ritibus*, ac alii, quos recenset Meratus *ad Gavantum sect. 5 c. 21 n. 4*). At juxta hodiernam disciplinam Capitulum nihil commune habet cum Horis Canonicis, a quibus omnino sejungitur. Si quid vero superest antiqui moris vestigium, non ad Capitulum sed ad Chorum pertinet, ubi Horae Primae Oratione absoluta, preces leguntur, quae antiquitus legebantur in Capitulo. Sed nedum Capitulum a choro distinguitur, verum etiam in eo plerumque temporalia tantum tractantur, agitur de honorum administratione; dati et accepti rationes a ministris redditae expunguntur; designantur personae, quibus diversa distribuuntur officia, et id genus alia fieri solent, quae, ut quisque videt, planeque intelligit, latum ponunt discrimen inter stallum in Choro, et sedem in Capitulo, seu, ut rectius dicam, inter choralia officia, et capitularia negotia. Jure igitur *per dictionem illam praeservativam* simul et *restrictivam: quoad stallum dumtaxat*, reservata fuisse Silvestronio declaratum fuit munera, praeeminentias, honorificentias, ac alia, quae stallo Chori adnexa sunt: neulquam vero praecedentiam in Capitulo, tum quia antequam ipse Canonicus fieret primae erectionis, vocem in Capitulo non habuerat, tum etiam quia aequum non videbatur, quod ei essent postponendi in voto, et subscriptione, qui usque dum in possessione reperiebantur tam votandi, quam subscribendi.

Jus autem deferendi Stolum quod Silvestronio non competebat ratione praecedentiae in stallo, priusquam Canonicis primae erectionis adnumeraretur, neque competere modo potest supra illos, qui licet sint inferiores in sedendo, sunt tamen antianitate potiores. Enimvero cum hujusmodi jus in funeribus lucrum aliquod secumferat,

ratio illud exercendi non est petenda a jure praecedendi in stallo, sed, cum praebendae omnes sint aequae presbyterales, anterioritas possessionis unice spectanda est; ideo detrimentum inferendum non est illis, quos Silvestronius priusquam novo Canonicatu potiretur, ex indulgentia praeerat, neque eo privilegio uti potuerat, etsi gauderet aliis honorificentis stallo adnexis, veluti sunt officium hebdomadarii, Missa conventualis per turnum, praerintonatio Antiphonarum, et his similia.

AQUIPENDIEN.

Cathedralis Aquipendensis, ubi nulla est Praebendarum distinctio, quum omnes Canonicatus Presbyterales existant, Hermes Garzonotti Presbyteratu adhuc non insignitus, praevia Apostolica Dispensatione Canonicatum est assequutus. Ad Sacerdotalem Ordinem dein promotus certiore reddidit Canonicum Aloysium Chierici nondum Sacerdotio inauguratum, sed in Canonicatus possessione anteriorem, se ex Sacerdotii receptione illi praecedere debere tam in choro, ceterisque functionibus, quam in actis Capitularibus. Etsi aegro animo, monitus tamen cessit; sed Presbyteratum quum obsequutus fuisset, iterum praecedentiam expostulavit, quam ex Sacerdotii defectu amiserat. Sed cum res ad pacem non componeretur, Rmi. Episcopi judicio commissa fuit, atque ante causae cognitionem Canonicus Garzonotti Sac. adivit Congregationem Concilii. Interim Decretum Episcopi Aquipendien. Canonico Chierici praecedentiam tribuit. Dum S. C. Supplici Garzonotti Libello rescripsit: „Utatur jure suo coram Episcopo ad formam Decretorum S. C. Rituum, praesertim in Monopolitana diei 17. Nov. 1674, et Sac. Congreg. Concilii, praesertim in Albanen. die 17. Junii 1826.“ Quum autem a suo Decreto Rmus. Aquipendien. Antistes

non recesserit, quinimmo oblato Congregationis recensitae Oraculo mandaverit: *Salvis hinc inde juribus supersederi*: ad quaestionem definiendam supplex fuit SSmo. D. N. Leoni XII. P. M. Canonicus Chierici, ac S. S. sub die 14. Martii 1827 mandavit: „proponi in Ordinario S. R. C. Conventu, audito prius Rmo. Episcopo, qui accessit omnibus congruum constituere debuerat terminum ad comparandum et deducendum jura sua in ipsa Sacra Congregatione. Longiorem vero moram a Canonico Chierici animadvertens Canonicus Garzonotti interponi, etsi ad juris tramites ab Episcopo monito, qui suam sententiam in scriptis aperuit, Sac. Rit. Congregationi memoriale cum Summario exhibuit, ut super re decerneretur. Sacra autem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum coacto sub die 22. Martii vertentis anni 1828, audita relatione Emi. et Rmi. D. Card. Joannis Francisci Falzacappa Ponentis, visisque juribus deductis, respondendum censuit: „Affirmative favore Canonici Garzonotti.“ Lis certe componenda foret, nisi Canonicus Chierici appellationem intermisisset. Denuo itaque proposita causa sub infrascripta die, Emi. ac Rmi. Patres sacris ritibus tuendis praepositi ad Vaticanum iterum in Ordinariis Comitibus coadunati, ad relationem ejusdem Emi. et Rmi. D. Card. Ponentis Causa discussa, et examinata, rescribendum censuerunt: *In decisis, et amplius*. Atque ita decreverunt, ac servari mandarunt. Die 16. Dec. 1828 n. 4643.

II. Super Clerum inferiorem.

Vd. *Processio*; *Archipresbyter*; *Vicarius gen.*; *Synodus*; *Canonici* (assist. ext. Cathedral.); *Magistratus*; *Coena Dom.* (praeced. etc.) *Stola paroch.* (decr. n. 4615.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae praecedere debent Canonicos, caeterosque Ecclesiae Collegiatae tam in funeralibus officiis celebrandis, quam in aliis

etiam intus Collegiatae. Et in funeralium processionibus Canonici Ecclesiae Collegiatae congregentur in Ecclesia Cathedrali et inde cum Canonicis Cathedralis discedant, et incedant, consuetudine in contrarium non obstante. n. 134 ad 1 et 2 die 2. Sept. 1597.

Praecedentiam deberi Canonicis Cath. supra Canonicos Colleg. etiam in Ecclesia propria. n. 1315 die 20. Apr. 1641.

Vd.: *Canonici* (Insignia etc. extra Ecclesiam etc. decr. n. 4138.

Canonicos et Capitulum Cathedralis semper et ubique quoscunque Curatos, etiam in eorum propriis Ecclesiis, praecedere debere. n. 210 die 2. Aug. 1603.

Canonicos Cathedralis etiam non graduatos praefereudos esse omnibus Presbyteris non Canonicis etiam graduatis. n. 367 die 19. Jan. 1608.

Praecedentiam semper dandam esse Canonicis tam in Cathedrali quam in quacunque alia Ecclesia, dum ad Officia divina vel ad Concionem audiendam sedent in habitu canonicali. n. 424 die 6. Martii 1610.

Canonicis nullam competere praecedentiam seu praerogativam, quando assistunt sine habitu canonicali. n. 895 die 8. Febr. 1631.

Canonicos sacris indutos Magistratui in omnibus praefereudos esse. n. 1911 die 13. Julii 1658.

Canonicos semper praecedere debere Beneficiatos, licet Cappis indutos, dummodo Beneficiati non sint parati sacris vestibus. Praecedentiam in ecclesiasticis functionibus inter presbyteros simplices et Canonicos, ratione paramentorum deberi Paratis. n. 2422 die 10. Sept. 1667; n. 923 ad 3 die 5. Julii 1631.

Accedente Archiepiscopo ad aliquam Parochialem suae Dioecesis cum Canonicis suae Cathedr. locum digniorem deberi Canonicis immediate post Ar-

chiepiscopum; Rectorem vero sedere debere post Canonicos vel e regione sedis Archiepiscopalis. n. 948 ad 3 et 4 die 14. Febr. 1632.

Archiepiscopo Bonon. in Ecclesia s. Patronii solemniter celebrante, praecedentiam et assistentiam deberi ibidem Canonicis Cathedr., dummodo ipsi ad Ecclesiam Colleg. capitulariter accedant. n. 3256 die 15. Decb. 1691.

Episcopo in aliqua Ecclesia Colleg. vel Parochiali assistente, Capitulo Cathedr. supra Capitulum, Clerum et quoscunque alios Sacerdotes Ecclesiarum inferiorum praecedentiam deberi. n. 1153 die 7. Maii 1639.

Praecedentiam deberi assistentibus solemniter celebranti supra Canonicos. n. 1136 die 26. Mart. 1639.

Canonicis *uti singulis*, nullam deberi praecedentiam aut praerogativam. n. 1242 die 17. Julii 1640.

In sessionibus, stationibus et processionibus ecclesiasticis, quando capitulariter incedunt, Canonicos Cathedr. utique praefereandos esse; in reliquis vero actibus privatis, vel alias, in quibus *uti singuli* intersunt ad ritum ecclesiasticum, nullatenus pertinere... n. 2069 die 24. Julii 1660; n. 3892 ad 2 die 12. Sept. 1716.

Ad dubium: an Canonicus Cathedr. *residens in aliquo Oppido* ejusdem Dioecesis praecedere possit Archipresbytero Curato et aliis sacerdotibus in processionibus et aliis publicis functionibus? S. C. resp.: Canonicum praedictum non habere locum nisi in Ecclesia propria. n. 1615 die 19. Mart. 1650; n. 3892 ad 2 die 12. Sept. 1716.

Canonicis *presbyteris* ubique locorum competere praecedentiam (etiam supra Canonicos Diaconos etc. prius receptos) in functionibus capitularibus, tam quae fiunt cum habitu canonicali quam sine habitu. n. 1716 die 18. Julii 1654.

Canonicos supranumerarios, etiamsi

antianos, non tamen consecratos non posse praecedere Sacerdoti. n. 2287 ad 2 die 30. Aug. 1664.

Canonicis Cathedr. Agrigentinae, qui sine cruce suae Ecclesiae et sine consensu capituli tamquam singuli incedunt, non habent praecedentiam supra Curatos. n. 2660 die 2. Dec. 1673.

Ad dubium: an Canonicus Cathedralis Titulari praesente Episcopo in alienae Dioecesis Ecclesiae competat praecedentia super parochum ipsius Ecclesiae? 2) an idem dicendum sit quoad Canonicum Cathedr. honorarium tantum, praesente similiter Episcopo? S. C. resp.: Affirmative in omnibus. n. 4830 die 19. Maii 1838.

III. Super Laicos.

INTERAMNEN.

Orta controversia inter Canonicos Eccl. Cath., et Magistratum, Canonicis recursum habuerunt ad S. C. petentes declarari infrascripta, et respective mandari super eisdem observantiam Caeremonialis:

1. Magistratus, qui antehac consueverat in concione sedere a sinistris Episcopi remotius ab illo, et in scamno ejusdem qualitatis cum illo, quo Canonicis a dexteris sedent, nunc usurpat sibi sessionem ad dexteram in scamno eminentiore, et proximo Episcopo cum genuflexorio.

2. Idem Magistratus contra formam Caeremonialis usurpat sessionem in Presbyterio e regione Episcopi cum genuflexorio, quo nec ipse Ep. utitur.

3. Contra ejusdem Caeremonialis dispositionem, praetextu cujusdam Decreti Episcopalis, thurificationem exigit eodem tempore, quo Canonicis exhibetur.

4. Distributionem Candelarum ante Canonicos, vel eodem saltem tempore postulat.

5. Idem de Cineribus.

6. Idem de Palmis.

7. Idem de adoratione Crucis feria V. et VI. majoris hebdomadae.

8. In Processionibus SSmi. Corpor. Christi locum sibi vindicat immediate post SSmum. Sacramentum.

9. Idem Magistratus ab immemorabili tempore consuevit in ipso die sui ingressus ad Eccl. Cath. accedere, et Missae solenni interesse, et publicam eleemosynam elargiri, nunc, praedictorum obtentu, neutrum facere contendit.

Et S. C., proponente Emo. et Rmo. Card. Roccio, Partibus in jus vocatis, ac Decretis alias editis inhaerendo, ad 1. respondit: „Magistratus non licere occupare locum Capituli et Cleri, qui debet esse dignior immediate post Episcopum.“

Ad 2, 3, 4, 5, 6, 7 et 8: „servandum omnino esse Caeremoniale.“

Ad 9. „eum Magistratum teneri consueta obsequia et accessus in diebus solitis, et solemnibus Ecclesiae Cath. praestare, et ad id cogi posse.“ Et ita in posterum servari mandavit in Civitate Interamnen. n. 1401 die 19. Julii 1642.

1. Capitulum Ecclesiae Metropolitan. Ravennae in corpore praecedere debeat Magistratus in corpore cum insigniis incedenti tam in Ecclesia quam extra.

2. Archidiaconus, Praepositus et Canonici *uti singuli* praecedentiam cedant Magistratus collegialiter incedenti.

3. Si contigerit caput Magistratus et alios Sapientes per civitatem incedere non quidem collegialiter sed *uti singuli sine insigniis* tamen Magistratus et sic invicem obviare, tunc ille praecedentiam retineat, qui dexteram obtinet.

4. Idem Sapientes Magistratus *uti singuli cum Insigniis* praecedant Canonicis *uti singulis*;

5. Canonici *uti singuli* praecedant Sapientibus *uti Singulis* quamvis cum

famulo publico sine tamen Insigniis incedentibus. n. 1416 die 24. Sept. 1642.

Canonicos canonicali habitu indutos praesertim in Divinis aliisque functionibus ecclesiasticis Magistratus civitatis semper praefereandos esse. n. 1849 die 17. Nov. 1657.

SENEN.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori. L'Arcivescovo di Siena facendo le prime assistenze Pontificali nella sua Metropolitana, osservo che nella Festa della Purificazione della Santissima Vergine eravi l'uso di distribuire prima al Magistrato Communitativo della Citta, e quindi alle Dignita, e Canonici non parati le Candele benedette, e parimenti nella Domenica delle Palme si costumava porgere i Palmizii prima al suddetto Magistrato, e quindi ai Capitolari.

Sembrando all' Arcivescovo, che tale precedenza del Magistrato fosse indebita, e contraria alle Regole Liturgiche, fece delle vive premure presso il medesimo, affinche da Lui si cedesse la precedenza in tali Funzioni al Reverendissimo Capitolo. La Magistratura ne tenne uffizio al Superiore Governo della Capitale, e postasi in discussione dal Ministero questa vertenza, ed esaminati i dritti affacciati dalla Magistratura fu deciso, che anche per evitare controversie, e disgusti, si continuasse il medesimo sistema.

L'Arcivescovo senti con dispiacere una tal risoluzione, e non potendo far altro si ritiro dal fare egli stesso tali Funzioni: non si reco piu in tali mattine nella Cattedrale, e lascio fare all' Eddomadario le distribuzioni delle Candele, e dei Palmizii, e cosi ha seguitato per sei anni. Ben' e vero che questa sua perseverante condotta cagiona una diuturna amarezza tra i membri di quel Magistrato, la quale

sarebbe desiderabile, che potesse togliersi, qualora ciò si trovasse eseguibile senza reale lesione degli Statuti Disciplinari della Chiesa.

L'Arcivescovo Oratore considera che la prescrizione del Ceremoniale de' Vescovi (lib. 2 cap. 16) che debbano preferirsi i Canonici ai Magistrati, suppone che i Canonici siano rivestiti dei sacri Paramenti, e ciò più volte vi si ripete; ma nel nostro caso i Canonici non hanno che il semplice abito Corale; e se fossero parati, il Magistrato probabilmente non vorrebbe la precedenza, ed in fatti godono di questa anche attualmente il Presbitero Assistente, ed i due Diaconi parati. Sembra pure che non sia interamente da escludersi la ragione principale, che per tal precedenza si adduce dal Magistrato, che cioè esso è succeduto a quello della Signoria, che formava un tempo la Rappresentanza Governativa di questo Stato, e che perciò l'attuale Governo Granducale ha lasciato a questa Civica Magistratura certi privilegi, che ad altre simili in Toscana non vengono concessi.

Comunque però sia l'Oratore Arcivescovo ha incominciato a dubitare se convengagli rimanere in questo allontanamento delle predette due Sacre Funzioni, mentre ciò tende ad esacerbare gli animi di alcuni suoi distinti Diocesani, e diminuisce la confidenza e l'affetto, che debbono nutrire verso il proprio Pastore.

Prega inoltre l'Eminenze Loro Reverendissime ad avvertire, che troverebbe affatto incongruo obbligare i Canonici a pararsi, giacché ciò non vogliono fare che nelle principali solennità dell'anno, e sarebbe cosa troppo arrischiata ed imprudente il volergli a ciò astringere, oltre che sembrar potrebbe, che ciò si facesse appostatamente per soggiogare la Magistratura.

Non essendo adunque ben precisa, e chiaramente applicabile all'esposto caso la prescrizione del Ceremoniale de' Vescovi, che stabilisce la precedenza in tal distribuzione ai Canonici parati sopra il Magistrato, e non già ai Canonici non parati, e concorrendovi ancora altre circostanze, prega l'Oratore la bontà dell'Eminenze Vostre Reverendissime a degnarsi significargli come debba regolarsi, e se possa senza offesa de' Sacri Riti, o almeno per i debiti riguardi della pace, e della concordia prestarsi spontaneamente all'assistenza Pontificale, e fare da se stesso le distribuzioni delle Candele, e delle Palme a forma del consueto. Che ec.

Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, rem maturo examine perpendens, atque insimul advertens, quod in Caeremoniale Episcoporum statuatur, praecedentiam in casu deberi Canonici paratis: inhaerens alias decretis, et praesertim in una Interamen. diei 19. Julii 1642 rescribendum censuit: „Strictim servetur Caeremoniale Episcoporum. Die 16. Mart. 1833.“ n. 4703.

w) Residentia.

Vd. *Coadjutor Canonici* (residentia, decr. n. 306).

x) Sepultura.

Servandus est ordo Ritualis romano quoad preces et caeremonias, etiam quoad luminaria in sepeliendis Canonici. n. 2345 ad 8 die 31. (Julii) 1665. Vd. *Sepultura Canonorum; Mitra ad Exequ.; Cadaver* (asport.); *Processio funebr.* (exitus a Cath. decr. n. 4592 ad 5.)

y) Vox in Capitulo.

Canonicum, qui est etiam Dignitas, unam tantum vocem habere debere in

Capitulo, maxime cum Dignitati non sit adnexus Canonicatus. n. 1327 die 11. Maii 1641.

Vd. *Capitulum* (Vox).

2) Ecclesiae Collegiatae.

a) Assistentes parati Episcopi.

(Vd. *Canon. Cath.* (assist. parati); *Diaconi assistent.*)

Canonici Collegiatae Foggiae possunt in propria Ecclesia mutare habitum choro consuetum et assumere vestimenta s. et taliter assistere in certis anni diebus Episcopo in dicta Ecclesia ad instar Canonorum Cathedralis. n. 3563 ad 1 die 22. Maii 1700.

Archiepiscopo Pontificalia celebranti in Collegiata Surrenti vel filialibus aliisque silis intra illius districtum assistere debent Canonici ejusdem Collegiatae, dummodo Canonici Metropolitanae non interveniant capitulariter. n. 4031 ad 4 die 12. Mart. 1735; n. 4094 ad 4 die 11. Julii 1739.

Ad dubium: an Canonici Collegiatae Surrenti assistentes Archiepiscopo in throno Pontificalia exercenti, debeant esse induti vestibus choralibus seu potius paramentis s.? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4094 ad 5 die 11. Julii 1739.

b) Associantes Episcopum.

Vd. *Visitatio* (associatio).

c) Associatio.

Vd. *Dignitarii* (associatio).

d) Crux.

Licere Capitulo Ecclesiae Colleg. loci Belvedere in omnibus processionibus deferre propriam crucem, sub qua incidere debere etiam omnes inservientes in eadem Ecclesia Colleg. praeterquam in funeralibus defunctorum, qui tumulari debent in aliis Ecclesiis. n. 986 die 18. Junii 1633.

Canonici Collegiatae Cerreti Dioecese-

sis Theles. exposuerunt, ipsis vetitum fuisse ab Episcopo moderno delationem propriae crucis in processionibus, quamvis illam hactenus deferre consueverint et novissime cogi adincedendum sub cruce Cathedralis, intermedios vero inter Oratores et Capitulum Cathedr. praecepisse Ordinarium, ut incedant Clerici Seminarii. S. C. resp.: Episcopus admoneatur, ne quid innovare praesumat. n. 2090 die 18. Dec. 1660.

Clerus Collegiatae Cerreti sub sua cruce et non Cathedralis incedat ad formam Concordiae. n. 2970 ad 10 die 22. Nov. 1687.

Ecclesiae Colleg. Fulginci non licet in processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cath. deferre propriam crucem. n. 4261 die 4. Sept. 1756.

e) Erectio et Confirmatio.

Canonici Ecclesiae erectae ab Episcopo in Collegiatam absque confirmatione Sedis Apostolicae non possunt frui praerogativis Ecclesiae Collegiatae. n. 693 die 3. Julii 1627.

Erectionem Collegiatae auctoritate Ordinario, cui saltem Auctoritas Apostolica minime accesserit, penitus nullam nequaquam sustineri. n. 1837 ad 4 die 4. Aug. 1657.

f) Genuflexio cor. Episcopo.

Vd. *Benedictio Episcopi; Genuflexio coram Episcopo* (praecipue decr. 4595).

Ad dubium: An Dignitates et Canonici insignis Collegiatae s. Pauli Vallettae in omnibus indistincte functionibus ecclesiasticis debeant, ut alii de Clero, genuflectere Episcopo, etsi non pontificalibus vestibus sed cappa dumtaxat vel mozzetta induto, seu potius caput tantummodo et humeros eidem profunde inclinare? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4436 die 28. Julii 1789.